

bus crescunt. Sic certe apparet lucis, in septentrione numquam non splendentis, efficacia.

## §. 5.

At lumen solare, tam in summo septentrione saluiferum atque duitur<sup>um</sup>, vel in eo deprehenditur, quod vegetationem, in primis florum, tantopere accelerare videtur, ut cerealia, quæ aliis regionibus longo temporis intervallo vix explicare flores potuerunt, postquam coelo assveverint arctico, duplo fere breviori temporis spatio non modo defloruisse, sed etiam fructus maturos præbuisse animadvertamus. Quam celeritatem, etsi nonnihil caloris, coadjunctum luci, ad properandam vegetationem conducere videatur, maxime tamen solis efficaciam imputandam existimo; quia floribus in septentrione, die pariter ac nocte perpetua lacessitis luce, nihil est temporis reliquum, quo requiescere potest vegetatio: et accelerata vegetatione floris, celerius absolvitur fructificatio.

Itaque omnia, quorum ad præparandum germen opus est, hoc est ipsa anthesis, et quæ ex ea sequuntur, scilicet fructificatio et fecundatio germinis, maxima celeritate in Lapponia perficiuntur. Sic summo in septentrione Flora omni, qua par est, festinatione properare opus videtur,